

JOHN 3:1-6

1 erat autem homo ex Pharisaeis Nicodemus nomine princeps
Iudaeorum

2 hic venit ad eum nocte et dixit ei rabbi scimus quia a Deo venisti
magister nemo enim potest haec signa facere quae tu facis nisi
fuerit Deus cum eo

3 respondit Iesus et dixit ei amen amen dico tibi nisi quis
natus fuerit denuo non potest videre regnum Dei

4 dicit ad eum Nicodemus quomodo potest homo nasci cum senex
sit numquid potest in ventrem matris suae iterato introire et nasci

5 respondit Iesus amen amen dico tibi nisi quis natus fuerit ex
aqua et Spiritu non potest introire in regnum Dei

6 quod natum est ex carne caro est et quod natum est ex Spiritu
spiritus est